



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLX. Busso Gruvelhut verzichtet auf eine Rente im Dorfe Knobloch zu Gunsten der Petri-Capelle, am 31. Jan. 1314.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CLX. Bussò Gruelhut verzichtet auf eine Rente im Dorfe Knobloch zu Gunsten der Petri-Capelle, am 31. Jan. 1314.

Venerabili in Christo patri domino suo reverendo, domino Frederico Brandenburgensis ecclesie episcopo Bussò miles dictus Gruelhut, se ad quevis sua bene placita benevolum et paratum. Vestre dominationi quatuor choros siliginis, quos in annuis redditibus a vobis et ab ecclesia Brandenburgensi in villa Clebelock titulo pfeudali hucusque tenuimus et habuimus, liberaliter et aperte presentibus resignamus, renunciantes non vi, non metu neque aliqua coactione omni juri, quod nobis aut nostris heredibus competit aut competere possit in posterum in eisdem, cupientes etiam jam predictos quatuor choros siliginis ad capellam beati Petri in Brandenburg perpetuo pertinere, ut proinde nostrorum progenitorum animarum et nostre fratrisque nostri Johannis Gruelhut, sacerdotis, anime, cum nostre carnis debitum tempore succedente solverimus, a singulis quibuscunque sacerdotibus, ipsius capelle altare officiantibus memoria perhenniter peragatur. In cujus rei testimonium et evidentiam presentes nostras litteras, sigillo nostro sigillatas vestre reverentie duximus transmittendas. Datum Spandow V feria ante purificationem beate Marie virginis.

Nach der Copie im alten Copialbuche.

CLXI. Quittung des Procurator des Domcapitels am päpstlichen Stuhle über empfangenes Gehalt, vom 25. April 1314.

— Bernardus Renardi, archidiaconus Xanttonensis, domini pape capellanus et ipsius litterarum contradictarum auditor salutem in domini. Noveritis, quod magister Taverninus de Novaria, olim procurator prepositi, prioris et capituli ecclesie Brandenburgensis, in nostra presentia constitutus, confessus fuit et in veritate recognovit sibi et per manus Johannis Milonis, canonici ejusdem ecclesie, dantis et solventis vice et nomine dictorum prepositi, prioris et capituli plene et integre satisfactum usque in hodiernum diem de omni salario ei debito ratione procurationis officii per ipsum magistrum Taverninum Hattensem in Romana curia gesti pro preposito, priore et capitulo supradictis, de quo quidem salario sic recepto prefatus magister Taverninus se sane quitum, pacatum et contentum tenuit et vocavit —. Datum Carpentorati VII. Kal. Maji apostolica sede per obitum felicis recordationis domini Clementis pape venerabilis ad prefens prouisore vacante. Sub anno domini millesimo CCCº, quarto decimo.

Nach dem Original.

CLXII. Der Bischof Friedrich schenkt der Petri-Capelle auf der Burg Brandenburg eine jährliche Rente aus der Havelsscherei, am 30. August 1314.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus universis tam presentis quam futuri temporis Christi fidelibus salutem in omnium salvatore. Cum brevis vita sit hominum et tempus labile, ne actiones, que fiunt ab hominibus durature,